SEMIOTICES MEDICAE GENERALIA COMMENTATA.

AVCTORITATE
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
PRAESIDE
D. CAROLO CHRISTIANO KRAVSE
EIVSDEM ORDINIS ASSESSORE
REL.

A. D. XVII. M. MARTII, A. P. C. N. MDCCLXXX

PRO GRADV DOCTORIS

PROPONIT ET DEFENDIT

CAROLVS FREDERICVS AGNER
PENICENSIS
MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE
LITTERIS KLAVBERTHIIS ET HERED. LANGENHEM.

SEMIOTICES MEDICAE GENERALIA COMMENTATA.

PROLOGVS.

Si, quod nemo facile dubitat, librorum in artium et doctrinarum genere quoque optimorum notitia haberi iure aliquo poteſt initium quoddam ſapientiae haud contemnendum, doctrina vero ex libris errorum plenis ac proletariis hauſta, miſcella illa et quaſi confuſanea, parum vtilitatis et ſecuritatis diſcentibus affert, atque praeterea meliori et veriori cognitioni non leuia impedimenta obiicit; verendum non erit, ne quis in dubitationem adducat, partem felicitatis non minimam ſtudioſis artium et litterarum putandam eſſe, ſi quibus contingat eſſe tam felicibus, vt per omnem vitae ſcholaſticae ſuae curſum et librorum lectiſſimorum vſu et intelligentium ac fidorum doctorum ductu ad artes et doctrinarum ſtudia, quibus ſe addixerint, vere et ſolide inſtituantur. Quemadmodum enim figuras in ſe inſcribi quaslibet facile patitur cera, ita imberbium quidem iuuenum, cereorum in vitium et errorem flecti, rudiores animi dogmatum quorumuis et qualiumcunque, blandientis ſermonis lenociniis propoſitorum, capaces ſunt auidique, ſed tamen falſarum imaginum ſemel acceptarum et altius menti impreſſarum deletionem non tam facile et libenter, quam cera ſequax, admittunt, teſtae potius recenti ſimiles, quo ſemel ſunt imbuti, odorem diu, non raro tanta tenacitate

ſeruant, adeoque grauiter ſpirant, vt male inſtructi homines non ſolum inſtitutionem meliorem peruicaciſſime ſtultiſſimeque detrectent, verum eos etiam, a quibus edoceri veriora poterant, odio implacabili, aliquando ad internecionem vſque, immo vero poſt fata, perſequantur. Et quamuis illi, qui nondum in falſis opinionibus conſenuerunt, neque igitur prorſus caeci et ſurdi ab iis redditi ſunt, ſi meliora vident, animum interdum aduertant, eaque probent, plerumque tamen id et ſero et aegre fit, vt, ſi opinionum commenta per longas moras inualeſcentia rationem iam iamque captiuam ducunt, mens ab erroribus, quibus implicita et vincta quaſi eſt, liberari et in ſanitatem reſtitui priſtinam non ſine multo labore et taedioſo renixu poſſit. Quod bene intellexiſſe TIMOTHEVS videtur, celeber quondam muſices magiſter, quem F. QVINTILIANVS ſcribit a diſcipulis prius male informatis geminam poſtulaſſe mercedem, ſcilicet quoniam geminum et dediſcendi et docendi laborem ſubire cogeretur. Ab hac quidem atque ei ſimilibus artibus, parum ſubtiliter cultis iis, praeter ſenſum inſuauitatis quendam humano generi nihil admodum mali futurum eſt; at vero medici, perperam ad artem ſuam inſtituti, cum non prius, quam experimenta egerint per mortes, ſapere diſcant, nonnulli quoque aeternum deſipiant, aut dolores non neceſſarios mouendo aut morbos praeter neceſſitatem trahendo atque ſic aliquando immedicabiles reddendo, non tantum perquam multa inſuauia ingrataque, ſed peſtifera etiam inferunt mortalibus, vt humanae ſalutis praeſidem artem in ſummam hominum perniciem ab illis conuerti recte dicas. Quodſi vero ab vno male docto medico, ob vile lucellum poſtea animam proſtituente iam ſatis periculorum ciuibus impendent; quantam putabimus ab ineptis artis doctoribus parari eorum ſtragem, quando iſti aut docendo ſcribendoque non magis diſcentium quam ſuam vtilitatem nominiſque cele-

brita-

britatem mira interdum iactantia et inani loquacitate aucupentur, aut profano ausu strepituque ridiculo capita tironum vanis nugis et idearum icunculis ac spectris lactent et farciant, aut aeternas dubitationes mouendo et audientibus scrupulos continuos iniiciendo eós perturbent, atque omnes ii luculenter sic monstrent, ad docendi prouinciam se non esse a natura destinatos, sed infelici quodam sidere detrusos. Haec cum scribimus, non cum laruis et vmbris pugnari, testimonio esse potest et historia artis medicae et scriptor Franco gallus seu Heluetus, nuperrimus ille, qui de cathedris medicorum per Galliarum prouincias fundatis et erectis tam clare et articulate declamauit, vt illi, quibus dictum est, interprete careant quam facillime *). Sed quorsum ista omnnia? Eo, vt et ego ipse grato afficerer sensu, et alii felicem praedicandum me esse intelligerent, quod, cum arti salutari addiscendae animum addixissem meum, eius doctores in hac litterarum et artium vniversitate nactus sim eruditissimos iuxta et candidissimos, qui et optimorum librorum explicatione luculentissima ad artem me instituerent eam, et omnino serioque cohortarentur, vt caeterarum quidem doctrinarum studia cupide etiam amarem, omnia vero apposite et habita prius cum prudentioribus deliberatione prosequerer, sed ne caeteris tamen illis tribuerem plus temporis, quam artis, cuius magistrum me professurus olim essem, ratio, nobilitas et dignitas, difficultas atque longitudo vitaeque humanae breuitas permitterent. Secus enim qui res instruerent suas, fere per omne vitae breuis curriculum arti longae non nisi perfunctoriam operam nauare solitos

 esse,

*) Vid. *L'anarchie medicinale ou la medecine comme nuisible a la Societe. par M. I. E. Gilibert. Neuschatel.* 1771. Item WIRDIGII *medicina spirituum;* nec non HELMONTII et eius sectatorum Archaeus cum ipsius apostolis, quorum nomina ad posteros transmittere pudet. Quam inanes illae a CRAANENIO pictae atque fictae idearum imagines!

eſſe, cenſurae igitur BACONIS A VERVLAMIO iure ac merito obnoxios, qui, *equidem*, ſcripſerit, *medicis minus ſuccenſeo, ſi ſaepenumero vacent alicui ſtudio alteri, quod adamant, magis quam arti ſuae propriae. Inuenies enim inter eos Poetas, Antiquarios, Criticos, Rhetores, rel. atque in iis artibus magis quam in profeſſione propria eruditos. Neque hoc fit, vt arbitror, quia habeant, quae ſibi obuerſentur, obiecta tam foeda et triſtia, vt animum ad alia abducere iis omnino opus ſit, ſed quod arbitrentur, parum ipſis intereſſe vel ad exiſtimationem vel ad lucrum, vtrum artis ſuae mediocritatem an perfectionem in ea maiorem aſſequantur.* Morbi enim taedia, vitae dulcedo, ſpei fallacia et amicorum commendatio efficiunt, vt homines facile in medicis qualibuſcunque fiduciam collocent. *Verum ſi quis haec curatius perpendet, ea potius ad culpam medicorum quam ad culpae excuſationem ſpectant.* Haec Vir ille Summus de medicis aetatis ſuae, de noſtrae fortaſſe aliter. Sed praeceptores mei praeterea, cauendum mihi eſſe, ne, quod iuniorum maximeque eorum, quos *puerulos praecoci ſapientia* Poeta ille appellat et *odit*, non pauci peccent, anteaquam audiendo, legendo, intelligendo ac meditando artis principia et praecepta animo inhaeſerint penitius, atque ſtudia mea ad maturitatem quandam peruenerint, morborum curationes intempeſtiue ſuſcipiendo aegrotantibus nocerem, mihi vero ipſi horas ſurriperem ad diſcendum et meditandum neceſſarias, cum vel veteranorum illi, qui ample valetudinarios nutriunt, hac parte delinquerent nonnunquam; ſectandum potius eſſe IAC. HOLLERIVM, quem THVANVS, *aſſidua meditatione,* aiat, *accerrimum iudicium attuliſſe, vt deploratos morbos, et ob feſtinationem ab aliis per vicos vaga curſitatione mulos fatigantibus, minus cognitos, ſumma felicitate curauerit.*

Vtrum his aliiſque conſiliis ſaluberrimis aures praebendo dociles ſorte hac proſpera et facili non omnino indignum memet exhibuerim, an vero Epimetheis, quorum plures quam Prome-

Prometheorum per Academias vagantur — — — nihil considerate nihil deliberato tractantibus illis, annumerandus ſim, vt iudicare Praeceptores noſtri ac Fautores venerandi poſſent, commentarium in particulam quandam Inſtitutionum medicarum ab H. BOERHAAVIO digeſtarum conſcriptum diſputatione inaugurali defendere nobiſcum animo conſtituimus. Peropportune id ſtatutum eſſe, ſperamus, exiſtimabunt ii, qui ab iunioribus primum documentum publicum partae doctrinae edituris, vix aliud ſpecimen diligentiae ac profectuum praeter accuratam et promtam principiorum ac praeceptorum ſcientiam requiri et exſpectari poſſe, ac praeterea etiam hoc cogitabunt, in nullo alio hactenus de medica inſtitutione compoſito libro principia artis tam ſolide, tam eleganter et accurate, tam ſimplici naturalique et nihilo minus tamen propemodum inimitabili methodo expoſita eſſe quam in illo iure meritoque dicendo aureo dignoque, qui in omni bene ordinata ſchola medica a publice conſtitutis doctoribus quotannis praelegatur et illuſtretur, exemplo ſcholae Vindobonnenſis, in qua ſapientiſſime ita iubente atque cum propterea tum vero etiam ob alia multa in artis medicae incrementum collata beneficia aeternas a Medicis et aegrotis merente gratias, *Longe Auguſtiſſima* MARIA THERESIA, diſcentibus epitome inſtitutionum illa plus quam aurea annuis exercitationibus a peritis et prudenter lectis profeſſoribus explanatur. Quicquid enim in hoc genere ſcriptum ſit ab aliis, quam docte alioquin, tamen, ſi cum illo conferatur, de ſplendore ſuo videri plurimum amittere. Sed ab vlteriori libri laude libenter abſtinerem, ne, quod quondam oratori illi Herculem laudanti: *Et quis eum vituperat?* idem et mihi fortaſſe obiiceretur. Quia tamen boni et pulcri aeſtimatio laudi danda eſt, et optimus quiſque laudis ſtudio trahitur, age! repellamus ſaltem quorundam querimonias vltro citroque iactatas. Nam ſicut Iupiter ipſe, quod dicunt,

dicunt, non omnibus placere poteſt, ita nonnulli quoque libro ei breuiloquentiam et abſciſſum quaſi ſermonem indeque natam neſcio quam obſcuritatem obiectant et imputant. At vero libris didacticis laudi, non vituperio tribuenda eſt verborum concinnitas in breuitate docendi, qua librum ſuum compoſuit BOERHAAVIVS. Oratoris quidem eſt copioſe ornateque dicere, ſed doctoris breuiter et terſe. Et iuxta praeceptum Poetae Venuſini, *quicquid praecipies eſto breuis.* Si qua ſubinde difficultas ex breuitate ſermonis exſtiterit, neque Auctor neque eius liber in vituperationem cadit, ſed illi ipſi male queruli lectores ingratique admodum. Aut enim ſunt e diſcentium grege, aut doctoris publici priuatiue munere fungi geſtiunt. Illi vel omnino inuita Minerua doctrinarum ſtudiis operam dant, hirundinibus et paſſeribus interdum indociliores; vel librum, illuſtrationibus Academicis deſtinatum, nullius adminiculis, ſed, vt dicitur, ſuo Marte voluere et reuoluere atque intelligere cupiunt; vel canibus e Nilo lambentibus ſimiles metuunt, ne, ſi vni eidemque libro operam multam et tempus neceſſarium tribuerint, ex aſſiduitate diſcendi tandem aliquando erumpat malum et monſtrum aliquod ingens, horrendum — — — Hi vero, qui vel publica Magiſtratuum auctoritate conſtitutorum doctorum muneribus ac praebendis fruuntur in ſinu gaudentes, vel doctoris priuati iuribus ac priuilegiis vtuntur auide plerumque appetentes illa atque ambientes prenſanteſque, ſi librum artis principia ſimplici et plano ſed ſimul breui ſermone complectentem, obſcuritatis et difficultatis arguant, velim meminerint, *pro captu lectorum habere ſata libellos ſua*; vt ne alia bene multa, quae poſſem, dicendo attingam. Caeterum libri eius praeſtantiam et excellentiam intelligi ex eo poſſe, quod ab omnibus ſolide doctis et cordatis medicis in ſummo ſemper honore habitus ſit habeaturque, atque quorundam admodum

erudi

eruditorum commentaria elicuerit *) nec quiſquam vere peritorum ſit, qui BOERHAAVII manibus terram leuem non precetur, niſi fortaſſe, vnus aut item alter, qui velit eſſe dux ipſe gregis ſui, vt caper ille. Commentatorum autem illorum nemo vltra phyſiologica progredi auſus eſt, niſi forſan ASTRVCIVM, Virum iure ſuo ad BOERHAAVII laudes contendentem, eiuſque *Tractatum pathologicum* eo loco habueris; ipſe ſaltem ASTRVCIVS eo poni voluit **). Cum tamen neque is neque GAVBIVS in pathologia ſua tractare ſemioticen ſuſtinuerit, ſine qua ſermo de morbis non claudus modo ſed mutilus eſt, ab vtroque hoc***) in viam tandem aliquando compulſi atque detruſi poſt longam hanc praefationem vires ingenii mediocris periclitabimur. Doctrinam igitur de ſignis medicis, qua arx totius artis eſt, attingemus, et paragraphos priores eius partis Inſtitutionum BOERHAAVII, quam poterimus luculenta commentatione illuſtrabimus; vtinam faxit Deus feliciter!

*) BOERHAAVII ipſius praelectiones ab HALLERO editae et huius notis auctae a nemine ignorantur. Videtur autem HALLERVS non optimis manuſcriptis potitus eſſe. *Commentaria* I. GVIL. HEYMANNI Leidae A. 1754. euulgata non omnibus innotuiſſe comperi, quamuis operae pretium fecerit. Noviſſime MARRHERR cogitata ſua non ſemper ſatis matura cum auditoribus ſuis communicauit. Edita a CRANZIO a. 1772. et inſcripta: PHIL. AMBR. MARRHERR Praelectiones in H. BOERHAAVII Inſtitt. medicas. Refer huc et EVERHARDI verſionem teutonicam Halae 1734 editam.

**) Vid. A. C. LORRY *Praefationem libro ei Pariſiis 1767. edito* praemiſſam.

***) Libri hi duo (ASTRVCII et GAVBII) lectioni tironum vtiliter inſeruire quidem poſſunt; ſed praelectionibus non ſunt accommodati, ſunt enim nihil aliud quam Praelectiones ab Auctoribus ſuis habitae. Quas nouis praelectionibus diluens facit idem, quod coquus, qui ius longum et ſic ſatis ſapidum iure nouo eodemque longiori diluit, et faſtidium conuiuis creat.

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗΣ.

GENERALIA.

§. 871.

Cum morbus ſit effectus ab ſua cauſſa pendens, ens eſt ſingulare, ab omni alio diſtinctum; ideoque in ſua propria ſingulari natura cognoſcendum, vt curari queat. Quod idem de ſanitate, eiusque ſtatu vario ſentiendum erit.

COMMENTARIOLVM.

Semiotice medica, ſeu doctrina de ſignis medicis quae ſit, nonniſi ab eo, qui hanc medicinae partem animo complexus eſt, luculentius et plenius intelligitur. Animaduerto igitur tantum, in epitome inſtitutionum medicarum non omnia ad ſingulos morbos pertinentia ſigna exponi poſſe; id enim latiſſime patere; verum hac parte comprehendi ea tantum, quae, ſi de morbis ſermo ſit, vel omnibus vel ſaltem pluribus communia ſint; ſin de ſanitate quaeratur, ea, quae vel ad ſanos omnes vel certas eorum claſſes ſpectent.

Generalia ſemiotices, de quibus ſcriptiuncula hac exponendum eſt, dicuntur ea, quae de ſignorum neceſſitate, notione, fontibus et generibus exponuntur. De neceſſitate ſignorum §. §. 871. 872. verba fiunt; fontes §. §. 873. 874. aperiuntur; notio ſigni medici §. 875. euoluitur; inde a §. 876. ſignorum genera conſtituuntur.

BOERHAAVIVS autem hoc ipſo §. 871. dicit, *ſingulum morbum*, h. e. eum, cui mederi medicus ſatagit, *eſſe ens ſingulare, ab omni alio diſtinctum.* Hoc eſt ita accipiendum, morbos ſingulos non modo genere et ſpecie inter ſe diuerſos eſſe, ſed morbos etiam ſpeciei eiuſdem in ſingulo quoque homine, atque in homine eodem diuerſis temporibus, aliquid ſingulare habere admixtum, quod in alio homine aut in homine eodem tempore alio non ſit. Hoc autem ipſum eo fieri, quod *cauſae* a quibus morbi illi pendeant, diuerſae inter ſeſe ſint. Nam ſi vel caeteras omnes prorſus ſimiles aut eaſdem eſſe poſueris, quod raro tantummodo fit, ipſa tamen aegrotantium corpora, cauſſarum praediſponentium vice fungentia, non poſſunt non eſſe diuerſa, cum homo nullus alii cuiquam prorſus ſimilis ſit, ſed ſinguli quique tam in fluidis quam ſolidis partibus atque earum craſi, compoſitione, proportione et nexu etc. aliquid ſibi proprium ſecum circumferant, atque praeterea corpus humanum quoduis in continuo fluxu ſit, ſic, vt adoleſcens, adultus, ſenex inde a pueritia varie mutatus homo dici iure poſſit. Quae cum ita ſint, cauſſarum earum diuerſarum effectus h. e. morbi, caeteroquin generis eiuſdem, inter ſeſe tamen differant neceſſe eſt. Vt exemplo quodam vtamur, tertiana febris, vel quartana aut alia quaelibet non modo ab omnibus reliquis febrium ſpeciebus indole et natura diſtat, atque hoc ipſum cognoſcere medicus debet, ſed et in diuerſis hominibus aut in eodem homine diuerſis temporibus diuerſi eſt ingenii. Quod ſatis teſtantur ſymptomatum varietas, magnitudo et numerus, atque morbi ipſius curatio, quae modo facilis, modo difficilis eſt, aliquando etiam nihil omnino proficit: Sed dicet fortaſſe aliquis: ſi morbus ſingulus quiſque ab omni alio diſtinctus eſt, qui fit, vt curationes morbo eiuſdem generis in aliis adhibitas in aegrotantibus noſtris ſequi poſſimus. Poſſumus propterea, quia plurima tamen morbi generis eiusdem habent

 commu-

communia, atque illud ſingulare, quod ſingulo cuique adſperſum eſt, ſaepe aut cognoſci nequit, aut tantum non videtur, vt propter id a curandi via, quae in aliis ſimilibus caſibus bene reſponderat, recedamus. Quodſi vero diſcrimen ſatis conſpicuum et momentoſum eſt, vtique ex methodo generali varianda eſt medendi ratio. Siue autem morbi ingenium ſingulare penitus lateat, ſiue pateat luculentius, ſemper in ipſis curationibus, maxime hominum ignotorum, diligentiori obſeruatione opus eſt, vt, quae iuuare videantur, proſequamur, quae nocere, omittamus.

Cum ſupra hominem quemque ab omni alio diuerſum eſſe ſumerem, verebar, ne quis alieno loco id poſitum eſſe diceret; ea enim de re ab Auctore noſtro demum §. 889. ſeqq. exponi. Sed in loco illo id, quod hoc loco ſupponitur, expreſſius ediſſeritur, et homines adeo inter ſe diuerſi in claſſes tamen quaſdam diſpeſcuntur, ac temperamentorum ſigna traduntur. Caeterum homini cuique eſſe idioſyncraſian ſeu propriam humorum mixtionem aliaſque inde pendentes proprietates, ſicut a nobis hoc loco, ita et ab Auctore §. 889. ſumitur, Eſt enim enunciatio ea ex genere earum, quae nonniſi *poſtulati* vim habent. Atque haec de neceſſitate naturas morborum cognoſcendi ad §. 871. ſatis dicta ſunto. Axiomatis enim vis eſt propoſitioni ſeq. Quicunque non ſufficit ad cognoſcendum, is nec ſufficit ad curandum. Quod verius dicitur, quam illud HIPPOCRATIS: Quicunque ſufficit ad cognoſcendum, ille etiam ſufficit ad curandum.

Num vero etiam ſanitatis praeſentiam et naturam cognoſcere et ſcrutari medicum decet? Ita ſane nobis videtur. CHRIST. IO. LANGE tamen ſignis ſanitatem oſtendentibus opus habere medicos negat: „Quemadmodum enim ſanus parum ſollicitus ſit de medico, eumque neutiquam deſideret, ita viciſſim medicum, qua medicum, nec verſari debere circa

ſani-

ſanitatem cognoſcendam, adeoque nec circa ſigna ſanitati inſeruientia" *). Sed hoc quidem falſum eſt. Paulo verius aliquis dixerit, cum ex abſentia ſignorum morbos quoſcunque monſtrantium praeſentia ſanitatis intelligatur, nouis valetudinem ſecundam oſtendentibus notis carere medicos poſſe. Sed ſanitas ipſa vel conſtans eſt vel laeſioni facile obnoxia; eademque praeterea admodum varia et diuerſa eſt aetate, ſexu, temperamento, fabrica corporis, vitae genere, gentilitia indole etc. Quorum nihil ignorari tuto poteſt. Nam ab iis, vt ſupra vidimus, haud parum modificantur morborum naturae.

§. 872. Natura autem praeſens vel ſanitatis vel eius defectus, morbi, raro per ſe apparet ſenſibus; hinc nec per ſe tam perſpicue, vbi praeſentes in corpore ſunt, poſſunt cognoſci; quin imo vtriuſque ratio ſaepe latet.

Morbi natura eſt in conditione certa quadam partium vel ſolidarum vel fluidarum vel vtrarumque, functionem quamcunque ſeu vniuerſi corporis ſeu partis impediente. Quae ſi in externis eſt, patet quidem ſenſibus, ſaepe tamen non penitus perſpicitur. Quanquam enim vulnus quiſque videt, oſſium fracturae ſat facile ſe produnt, vulnerum tamen naturae differunt pro diuerſitate partium, inſtrumentorum laedentium, impetus impacti caet. fracturae vero oſſium vel tranſuerſae, vel obliquae vario modo, vel cum fragmentis ſunt, aliquando etiam dubiae, ſaepiſſimeque, ſi fiſſuras egerunt. Si partes interiores vel ab externis vel internis cauſſis laeſae ſunt, cognoſcendi difficultas maior, haud raro tanta, eſt, vt cadaueris ſectio demum et ſedem et naturam morbi, aliquando ne ea quidem

*) Vid. CHRIST. IO. LANGE Opp. p. 723. At quanto ſapientius M. TVLLIVS *Lib.* 2. *de Orat.* ſcripſit: „Medico diligenti priuſquam conetur, aegro adhibere medicinam, non „ſolum morbus eius, cui mederi vo„let, ſed etiam conſuetudo valentis „et natura corporis cognoſcenda eſt."

quidem, detegere queat. Adeo interdum ratio morbi eſt abſcondita. Atque generis neruoſi aegritudines, oculorum et aurium vitia tenebris illis praecipue ſunt demerſa. Sanitatis autem habitus non raro maxime ambiguus eſt, vt quidam, in quibus nihil eorum, quae ab Auctore noſtro §. 886. dicuntur, animaduertatur, nihilo tamen minus ſubito aegrotent aut morte inopinata rapiantur. Quamuis vero haec ita aliquando ſint, tamen, cum morborum et ſanitatis naturae non ſemper tam abditae ſint, medicos ab inueſtigatione earum deterrere non debent, ſed excitare potius, et ad fontes compellere, e quibus cognitio earum peti et hauriri poſſit.

§. 873. Sed ex praeſentia vtriuſque fiunt effecta quaedam, pendentia a functionum exercitatione vel a laeſione earundem. Haec quidem diſtincta ſunt, ab illis cauſſis, ſed tamen ita ab iis pendent, vt earum indolem manifeſtent, et cum ſenſuum acie obſeruari poſſint, magnam his indagandis lucem affundunt.

Fontium autem illorum §. 872. ſunt duo, quorum alter, qui §. hoc oſtenditur, ab effectis ad naturam vel ſanitatis vel morbi inueniendam ducit. Sanitas quidem praeſens quomodo cognoſcatur, ex eius notione intelligere datur. Scilicet videndum eſſe, an homo pro ratione aetatis, ſexus, conſuetudinis etc. omnes functiones, vitales, animales et naturales, facile commode et laete obeat nec ne. Quae quidem ab homine ipſo, ſi adultior eſt et animi ſui ſenſa explicare verbis poteſt, ſiue multo negotio comperiunt medici. Sin puer infans eſt, non tam facile exquirunt. Animaduertunt tum diligentius, et quaerunt de appetentia alimentorum et ſiti, de indole faecum alui, vrinae, de ſomno; conſiderant modum et rationem reciprocandi animam, arteriarum micationes, quas tamen

tamen norunt in pueris tenerioribus saepenumero fallere, praeterquam febriles; et quae sunt alia id genus, quae plenius §. 886. sunt exposita. Haec autem *distincta esse a suis caussis, de earum tamen indole testari* facile patet. Nam vt hoc exemplo vtar, stercus et lotium testantur de suis caussis, et si illud bene figuratum et coloratum est, et facile redditur, de alimenti assumti copia et qualitate, ventriculi et intestinorum actione et bilis natura, lotium vero coctum matutinis horis post somnum emissum, de sanguinis natura et viarum vrinariarum sana constitutione, testatur; vtrumque autem ab his suis caussis distinctum est Liberrima animae reciprocatio de omnium organorum respirationi seruientium sanguinisque integritate, meabilitate testatur; ipsa tamen tanquam earum caussarum effectus ab harum partium actione distingui perspicue potest.

Sed non solum sanitatis praesentia noscenda est; eius etiam naturam atque indolem, quam possumus, perspicere debemus. Alia enim constans est, a caussis leuioribus vix turbanda, alia valde mutabilis. Atque hanc quoque sanitatis naturam manifestant effecta. Constantis sanitatis esse eum iudicamus, in cuius corpore, praeter illa signa praesentis sanitatis, ea est praestantia, vt, si homo is solito diutius vehementiusque corpus mouet, neque cito neque nimium fatigetur, et ipsa fatigatio breui post discutiatur; et e contrariis sanitatis labilis natura elucescit. Tolerantia autem laborum illa eo efficitur, quod et humores copia necessaria in corpore sunt iidemque bona qualitate conspicui, partesque solidae satis robustae sunt et probe constitutae. Quibus fit, vt et humores meabiles et vasa permeabilia sint, neque meatus tam cito humore distendantur nimio, inde vero aliquando nata obstructionum et infarctuum initia paulo post dissipentur. Quanquam igitur *tolerantia* illa tanquam *effectus a caussis his distinctus est, earum tamen indolem manifestat.* Atque haec ad sensum verborum BOERHAAVII capiendum

piendum ſatis dicta videri poſſunt, vt plura ex ſignis cum praeſentis tum conſtantis ſanitatis hoc loco proponere, aut de idioſyncraſia varia et temperamentorum generibus, nunc adiicere non opus eſſe videatur. Conſulet, qui ea ſcire volet, Auctorem ipſum iſta §. 885. 890. ſeqq. luculenter omnia exponentem.

Miſſa nunc ſanitatis natura, de natura morborum ex effectibus cognoſcenda dicemus. *Morborum* vero *natura*, ſeu vt alii vocant, *eſſentia* ſtatu corporis eo continetur, quo fit, vt functio quaecunque aut prorſus tollatur, cohibeaturue aut nonniſi difficulter, grauatim, aut cum doloris et moleſtiae cuiuſdam ſenſu exerceatur. Dicitur alias etiam a medicis *morbi cauſſa proxima*, quatenus ſcilicet functio laeſa nomine morbi donatur, laeſionis vero eius cauſſa in ſtatu illo corporis reſidet. Neque moroſiores illi, qui vnam eandemque rem modo morbum modo morbi cauſſam proximam a medentibus inepte dici perhibent, ſingulare mentis acumen produnt, vim enim et notionem verbi cauſſae parum perſpicientes, modo relatiuam ſeu reſpectiuam eam eſſe haud intelligunt. Cui tamen haec non ſufficiunt, ei per me licet loquendi rationem medentibus inde a multo tempore frequentatam, ſi poteſt, abrogare, aut legere ea, quae ante hos ducentos et quod excurrit annos IO. LANGIVS de cauſſa morbi coniuncta ſcripſit *). Neque enim de notione morbi ab Auctore noſtro ex GALENI ſcriptis petita, nonnullis vero, laureolam in muſtaceo quaerentibus, improbata, neque de diuiſionibus cauſſarum morbos facientium diſputationes ſubtiles ſuſcipere, atque ſic viam regiam relinquere hoc tempore placet, quo pro iunioribus ſcribimus; ſed trito hactenus itinere progredientes exemplis in medium proferendis verba BOERHAAVII illuſtrabimus.

Animo igitur proponamus hominem morbo caduco laborantem, qui auxilium noſtrum imploret. Si a phyſiologia humani

*) Vid. eius *Medicinalium epiſtolarum miſcellan. Epiſt.* XV.

humani corporis ſatis inſtructi ſumus, motus muſculorum involuntarios illos, et vitalium quoque naturaliumque functionum perturbationes pro cauſſa ſupponere neruorum ad partes easq pertinentium actionem vehementem, facile intelligimus, ſenſuum vero omnino omnium impedimenta eo fieri, quod neruorum ſenſoriis organis ſeruientium actio quacunque ratione cohibeatur. Quomodo hi duo vtriuſque neruorum generis ſtatus contrarii vno eodemque temporis momento ſimul conſiſtere poſſint, difficilis quaeſtio eſt, neque huius loci. Obſeruamus ſolummodo, diuerſos illos neruorum ſtatus a medicis dici cauſſam ſenſuum abolitorum et motuum conuulſiuorum illorum, et vtroſque hos eſſe eius effectus. At vero cauſſa iſta generalius cognita ad morbum caducum in ſingulo quoque epileptico cognoſcendum non ſufficit, cum ea ipſa a varia conditione corporis tanquam effectus a cauſſa ſua pendere poſſit. Vt autem illi motus conuulſiui et ſenſus aboliti tanquam effectus cauſſam illam generalem manifeſtant, ita alii effectus, aut ante paroxyſmos aut poſt eos animaduertendi, conditionem illam variam quoque commonſtrant. In quibusdam enim multus capitis dolor, aurium tinnitus, vertigo; in aliis multa nauſea, voracitas, ſenſus aſcendentis per praecordia aurae frigidae; in nonnullis aut aliquis dolor, aut ſenſus etiam aurae frigidae inde a definito quodam loco extremitatum inferiorum ſuperiora petentis, aut eius partis conuulſiua motio ante acceſſiones epilepticas praecedit; aut paroxyſmos vomituritio vomituſue excipit; atque haec talia perſuadent, in locis illis affectis latere aliquid, quod aut neruorum fines, aut funiculum aliquem neruorum, aut menynges, aut cerebri corticem eiuſue medullam ita afficiat, vt vtrumque neruorum genus vehementius commotum motuum mirificorum illorum et validiſſimorum atque ſenſuum abolitionis cauſſa ſufficiens exiſtat. Effectus illi igitur caeteri quamuis ab latente illo diuerſi ſint, magnam tamen lu-

cem naturae morbi caduci in homine aliquo indagandae affundunt.

Vniuerſi humorum fluminis nimia tenuitas comites effectus habet excretiones auctas, ſcilicet cutaneam, vrinae, alui, ſaliuae, ſanguinis ipſius tenuioris vix in placentam concreſcentis; quibus animaduerſis indoles morborum a tenuitate pendentium oſtenditur, quanquam effectus illi ipſi a cauſſa hac ſua ſint diſtincti.

Hactenus dicta poterunt ad illuſtrationem verborum BOERHAAVII ſufficere, ſi expreſſius addidero, ex ſolis functionibus cohibitis atque effectibus in corpore aegroto notatis naturam morbi ipſius latentis non ſemper accurate et penitus cognoſci, propterea, quod functiones pleraeque a diuerſis inter ſeſe conditionibus impediri poſſint. Eum quidem, qui omnes conditiones ad exercitium functionis cuiuſquam requiſitas mente complectatur, cogitatione disiunctiua dicta, *aut — aut — aut* vtendo, et effectus concomitantes diligentius expendendo ad ſtatus morboſi cognitionem quamuis non ſemper, ſaepenumero tamen, peruenire propius poſſe, ſi cauſſas omnes curioſius circumſpiciendo eaſque cum effectibus comparando omnia quam diligentiſſime rimetur. Quam autem varium et quam multiplex impedimentum functionibus obiici exercendis poſſit, Auctoris Symptomatologia tam abunde tam clare diſtincteque docet, vt lector, ad eam remiſſus, hac parte ſibi ſic ſatis conſultum eſſe protinus intelligat. Sed cauſſarum facta mentio nos nunc ad ſequentem §. Auctoris ducit.

§. 874. Praeterea vero notitia applicationis cauſſae notae ad partem corporis quamcunque, prius cognitam in Phyſiologia, docet naturam effectus, qui inde ſequetur; ſiue is ſalutaris ſiue perniciosus futurus ſit. Nec multum

tum refert, an cauſſa haec externa, interna, naturalis, accidens, ſalutifera, morboſa, vel lethalis ſit.

Cum igitur, vt paulo antea vidimus, ex ſolis effectibus natura et indoles vel ſanitatis vel morbi non ſemper poſſit penitius perſpici, cauſſas remotas circumſpiciamus expiſcemurque oportet. Quae quidem vel praediſponentes ſunt vel occaſionales vel per ſe ſufficientes. Cauſſas per ſe ſufficientes voco illas, quae ita potentes ſunt, vt effectus morboſos in corpore faciant, etiamſi nulla proprie ſic dicta cauſſa praediſponens ad recipiendam impreſſionem corpus praeparet et aptet; cuius generis ſunt violentiae externae, eminentioris gradus calor et frigus, et res venenatae pleraeque, quarum effectus vel a priori, quod dicunt, h. e. ex ipſa cauſſae natura, cognoſcuntur, vel a poſteriori h. e. experientia magiſtra innoteſcunt. Morbi, quos iſtius generis cauſſae faciunt, ſi ſenſibus quidem noſtris partes laeſae prorſus patent, cognitionis ſunt facillimae, ac fere redeunt ad ſpecies ab Auctore §. 903. enumeratas illas. Quodſi vero cauſſarum actio vel in interioribus ſedibus perpetrata eſt, aut ab externis ad penetralia corporis tranſiit, iudicium quidem difficilius eſt, nihilo minus tamen ſi et *cauſſa* ipſa *nota* eſt, et eius *applicatio*, h. e. impetus, directio, veneni doſis, mora in corpore, ventriculus vel ieiunus vel ſatur etc. penſitantur, et cum effectibus conferuntur, morbi natura ab eo, qui anatomica et phyſiologica apprime callet, in lucem protrahitur vtplurimum. Haec, quae poſtremo loco de *cauſſae notae applicatione* dixi, ad morbos partium externarum accurate perſpiciendos aeque neceſſaria eſſe quiſque videt.

Caeterae cauſſae, quae quoniam non omnes homines protinus laedunt, ſed ad generandos morbos praediſpoſitionem corporis quandam praeſupponunt, vere occaſionales dici merentur, ſi et ipſae et adminiculantes illae clare cognitae pe-

nitiusque perspectae sint, morbi latentem naturam produnt, planiusque explicant, denique definiunt. Apoplexia aut haemorrhagia in plethorico, vel calidi et valde moti sanguinis homine, a caussis quibuslibet calefacientibus nata; morbi catarrhales rheumaticique in debilioribus ab refrigerio corporis aut perflatu aeris geniti, plurimique alii exempla illustrantia suggerunt.

De caussis illis, quarum effectus perniciosi sunt, haec dicta non magis ad eos, qui hactenus sic satis bene valere videbantur, quam ad eos pertinent, qui morbo iam quodam impliciti male habent. Periculosa inflammatio ab ictu morsuue insecti alicuius in corpore prauorum admodum succorum non raro concitatur. Acute febricitantem pessime mactat, quicquid motum humorum vehementer citat. Caussarum earum, quae effectus dant salutares, eadem ratio est, h. e. et in sano et in aegrotante cognitionem rerum iuuant. Firmiorem et constantiorem sanitatem esse putamus iis, qui a sanis et robustis, parce continenter et sobrie viuentibus geniti et educati, ipsi postea similem vitam in quotidiano labore agentes, corporibus suis nouum quotidie robur addunt, quam illis, qui inde a conceptione et gestatione vitiosi, luxuria diffluunt, delicate et molliter vitam transigentes. Atque si vtrique morbis tentantur, priores illi eos facilius superant, hi aegre eluctantur. Ad caussas, salutaria effecta in morbis promittentes referas haec quoque: si cita medicina paratur; si aegrotus praeceptis medentium morigerus est; si tempestas anni seu fixa seu vaga curationi fauet.

Prior huius §. pars spero, clare intelligetur. Patet vero etiam, ad cognoscendum parum interesse, *vtrum caussa corpori externa, an interna — sit* dummodo ipsa sit cognita penitus. Fatendum tamen est, externarum partium laesiones plerumque facilius cognosci, quia et quatenus tum caussae ipsae earundemque

demque applicatio pernoſci accurate et plenius poſſint, tum vero etiam partes laeſae atque adeo cauſſarum effectus oculis ſint ſubiecti fidelibus.

Cauſſae naturales hoc loco dicuntur eae, quae a natura humana pendent, tanquam aetates diuerſae, vnde aetatum morbi, ſexus diuerſitas, vbi in ſequiori praeſertim fluxus menſtruus, veneris deſiderium aliaque muliebria in cenſum veniunt, porro temperamenta, corporis conſtitutio vel nimium proceri et tenuis vel craſſi et obeſi, item corporis motus et quies, ſomnus et vigiliae; quorum tamen omnium exceſſus et defectus ex genere eorum ſunt, quae ex accidente fiunt. Quaecunque homini non ſunt naturales cauſſae, eae omnes ſunt accidentes. Neque ad cognoſcendi modum quicquam facit ea effectuum diuerſitas, qua ii vel *ſalutares* vel *morboſi* vel *lethales* dicuntur, ſed cauſſarum omnium ſimul ſumtarum et accurate cognitarum natura de diuerſis illis effectibus recte ratiocinantem docet. Non autem facile aut ſaltem non ſaepe errabimus, ſi omnes conditiones corporis, quibus ſanitas et vita continentur, in phyſiologia; ſi genera morborum et cauſſarum morbos facientium potentius in pathologica aetiologia, et ſymptomatum diuerſas cauſſas in ſymptomatologia mente complexi, in caſu quouis ſingulari ſeueram cogitationem adhibemus.

§. 875. Porro haec memorata effecta (§. 873.) atque hae dictae cauſae (§. 874.) quatenus ſenſibilia habentur, ipſa vel inde quam proxime deducta vocantur *Φαινόμενα*, haec autem ſolent appellari ſigna, quando ex iis ſenſu notis, lege iuſti ratiocinii demonſtratur praeſentia, natura, ſtatus, euentus, tam ſanitatis quam morbi et mortis,

Atque ex illis fontibus (§. 873. 74.) omnis cognitio de ſanitate et morbis deriuatur. Scire autem licet, inde a multo

 tempo-

tempore phaenomena ſeu apparentias vocari omnia ea, quae in corporibus obſeruentur, et in ſenſus cadunt vel medici vel adſtantium vel aegrotantis beneue valentis hominis ipſius. Effecta autem, a morbo pendentia, aut proxime aut remote inde deduci. Quodſi in vulneribus abdominis pars quaedam inteſtinorum punctim vulnerata ſic eſt, vt ea conſpici oculis poſſit, ſauciatam eam eſſe cruor docet e loco inteſtini ſaucio emanans, atque habetur effectus ipſe a laeſis functionibus vaſorum ſanguinem iam non retinentium pendens. Sin vulnus eiuſmodi eſt, vt pars inteſtini vulnerata lateat, locus vero abdominis ſaucius vel chylo vel ſtercoribus madeat, aut horum odorem ſpiret, aut cum ſtercore cruor aluo exeat, effectus iſti iudicantur inde h. e. a morbo inteſtini *quam proxime deducti.* Simili ratione cognoſcimus ex tumore imi ventris poſt vulnera abdominis, vel ex difficili admodum reſpiratione poſt vulnera thoracis, ſanguinem ex vaſis laeſis, oculo non patentibus, effluxiſſe.

Quodſi igitur apparentia quaecunque connexum huiusmodi cum re alia quacunque habet, vt ex illa ſenſu percepta intelligamus, iſtam alteram aut praeſentem eſſe, aut fuiſſe, aut futuram eſſe, illa prior in re medica, vt in aliis omnibus, appellatur *ſignum, nota,* altera vero *ſignati, ſignificati* nomine donatur. Quae quidem ſunt *notiones relatiuae,* vt nullum ſit *ſignum,* cui non reſpondeat *ſignatum* quoddam, et viciſſim. Et quanquam in arte medica vnum idemque phaenomenon modo vel cauſſa vel effectus modo et cauſſa et effectus, modo aut ſignum aut ſignatum, modo indicans therapeuticum vocari queat, non ideo tamen haec inter ſeſe confundere decet, vt nonnulli de medica inſtitutione ſcriptores, male inſtructi illi peccarunt. Sed diuerſarum rerum vim et notionem, et relationes mutuas, vere, perſpicue et diſtincte exponere oportet. Rerum enim confuſio eſt foecunda errorum mater.

§. 876.

§. 876. Quae vocantur διαγνωστικὰ vel δηλωτικὰ, quando denunciant praeſentem conditionem corporis viui, ſani, aegri, morituri, moribundi; ſi vero praenunciant ea, quae in his futura ſunt, tum προγνωστικὰ appellantur; denique vbi praegreſſa in examen reuocant, tum ἀναμνηστικὰ dicuntur medicis.

De notione ſigni et de fontibus ſignorum ſupra ſic ſatis dictum arbitror. Vidimus etiam, aut praeſentia inueſtiganda aut futura praenoſcenda, aut praegreſſa in cognitionem reuocanda eſſe, ſic quidem, vt ex ſignis quibuſdam ea colligamus, neque ab ore narrantis pendeamus. Inde igitur ſignorum genera tria exiſtunt. De diagnoſticis et prognoſticis pauca, de anamneſticis paulo plura habemus, quae hoc loco dicamus.

Vitae et valetudinis tum ſecundae tum aduerſae praeſentia nonniſi ex effectibus in homine intelligi ita poteſt, vt dubitationi locus ſit nullus. Vitae praeſentis ſigna certa exhibent ſenſus, motus, calor, ſic tamen, vt eorum abſentia deletam vitam eſſe non ſemper certo doceat; de quo alibi. Natura vero et ſanitatis et morbi ex effectibus quidem etiam cognoſcitur, vt tamen cauſſae haud parum ad cognitionem eam conferant. Signorum diagnoſticorum alia de magnitudine et mutationibus morbi teſtantur *).

Signa

*) Sanitatis ſigna ſunt duum generum. Alia praeſentiam ſanitatis monſtrantia poſſunt *diagnoſtica* dici, alia vero, quae ſanitatis naturam h. e. aut eius magis minusue conſtantem durabilitatem aut hominum idioſyncraſias et temperamenta diuerſa denotant, *phyſiognomonicorum* nomine digna mihi videntur. Haec autem ab arte medica auelli nullo modo poſſunt. Vt autem haec, ita quoque eae, quae ab animi affectibus atque a morbis mentem vel idiopathice vel ſympathice vel ſymptomatice afficientibus in homine fiunt, mutationes valent etiam aliquantum ad *phyſiognomoniam* (vulgo ſed male ſcribitur *phyſiognomia*) h. u. ad doctrinam diuinatricem illam, quae ex habitu corporis, vultu, oculis, fronte, lineamentis, voce et loquela, greſſu, geſtu motuque ſimilibuſque ingenia hominum

Signa diagnoſtica conditionem morituri monſtrantia cum ſignis prognoſticis mortis futurae confundere nonnullis videri Auctor poteſt. Sed ſalua eius res eſt. Signis quidem vtriſque eſt vicinitas quaedam. Accurata enim et certa diagnoſis prognoſin definit. Differunt tamen. Neque in eodem aegrotante ſignorum genera plura animaduerti vlla ratione repugnat. Res autem exemplo quodam propoſito perſpicua fiet. Si ſanguis cuidam ex vulnere cum impetu et ſubſultim arcus agendo erumpit, ex arteria exprimi eum iſte ipſe modus erumpendi tanquam ſignum diagnoſticum docet. Si autem vel per magnitudinem vel ſedem vaſis illius vulnerato ſuccurrere non licet, cognitio huius ſtatus morboſi, hominem eſſe moriturum demonſtrat, atque ſigni prognoſtici vice fungitur. Sed praeterea eiuſdem morituri varia eſſe conditio poteſt. Quaeritur haud raro, valeatne moriturus tantum, vt haeredem conſtituere aut de rebus quibuſdam teſtimonium dicere legitime poſſit, an vero nimia mentis imbecillitate impeditus vel delirio perturbatus ſit, illis igitur agendis impar.

Signa, quae aegrum morti proximum ſeu moribundum eſſe docent, cum praeſentem vitae cum morte luctam commonſtrent, ad genus diagnoſticorum merito referuntur. Sed quae ſint et an omnino quaedam mortis non decipientes notae ſint hoc loco diſputare nec libet mihi nec vacat. Legatur elegans CELSI noſtri locus Libro ſecundo, capite tertio.

Progno-

minum moreſque coniectat, et latitantes animi affectus e tenebris et latebris eruit ac protrahit. Eam LAVATERVS, vir admirabilis et ſupra laudes meas poſitus, ſtupendo opere patientia et induſtria incredibili compoſito, nuper admodum ornauit, eoque ſapientum plauſum meruit. Nihil niſi *Fragmenta phyſiognomica* (*Phyſiognomiſche Fragmente*) ab ſe edi iterum iterumque ac ſaepius inculcauit; atque promiſſi et propoſiti ſui vſque adeo memor et tenax fuit, vt, cum inſcriberet librum ſuum, inſcriptionem ipſam frangeret, et loco integrae fragmentum eius adhiberet. Vt hoc autem perplacet, ita diſplicet, quod de iis, per quos profecerat aut certe poterat, iuſto tenuius ſentit humaniſſimus LAVATERVS.

Prognoſtica ſigna, aut conſtantem ſanitatem atque longaeuitatem promittentia, aut tenuem valetudinem vitaeque breuitatem minitantia, aut in morbis euentum varium praenunciantia, cum ſint a BOERHAAVIO ſuis quaeque locis diligentiſſime accuratiſſimeque propoſita, neque ego de notione et vſu eorum habeam, quae rectius alios doceam, locum hunc relinquo, et per eum tranſilio ad ſequentem.

Scilicet de notis *anamneſticis*, quas a quibuſdam *rememoratiuas* appellari video, quam potero, diligenter dicam. Sunt enim hae recentiorum quorundam de inſtitutione medica ſcriptorum cruces. Vt autem de his iudicare ſecure poſſis, ſcias velim, ſigna anamneſtica vocari ea, e quibus praeterita colligimus; ergo cum cauſſa effectum praegrediatur eodemque prior ſit, nec viciſſim effectus priores ſuis cauſſis ſint, fontes anamneſticorum ſignorum non in claſſibus cauſſarum quaerendos, ſed ab effectibus petendos eſſe intelligimus. Neque artem ex ſignis praegreſſa colligendi pro anamneſi generatim intellecta ponere licet. Quo errore ſeducti illi videntur, qui de ſignis anamneſticis mirum ſyrma idque longum libris ſuis inſtitutionum medicarum adſuerunt, et tamen vix alia quam cauſſas olim quondam corpus male afficientes enumerarunt, et pro anamneſticis ſignis venditarunt. Nemo quidem medicorum eſt, qui, pluribus ante annis corpori accidentia aliquando vtiliter in memoriam reuocari, neget. Nam et hi qui in iuventute gonorrhoea maligna polluti erant, ſerioribus demum annis non raro habent, cur vagam libidinem execrentur. Et quidam ex his, qui ſanguinis ſputo aut alio pectoris morbo laborauerant, et ſic ſatis bene ſanati et ſibi et aliis videbantur, anguem tamen ſub thorace latentem ſecum neſcii circumferunt, poſt multos annos in apertum malum prorumpentem. Scabiei malam indolem quis eſt, qui ignoret? At vero ſi haec et ſimilia plura in cognitionem reuocantur, quantulacunque et

qualiacunque fuerint, ſi quid mali in corpore reliquerunt, et denuo in quaeſtione ſunt, ſignorum quidem vice funguntur; verum eorum, quae non anamneſtici ſed diagnoſtici generis ſunt, ſiue de praeſentia morbi cuiuſdam, ſiue de eius ipſius natura quaeſtio moueatur.

His praemiſſis ſubiungam ſigna anamneſtica nonnulla, eademque in conſpectum quendam producam, vt ii, qui minus recte de iis eruditi ſunt, errorem dimittere facilius queant. Quanquam enim locus hic non admodum foecundus eſt, quod iam FIENVS animaduertit *), non ita tamen negligi debet, vt confuſioni rerum occaſio praebeatur.

Sed ad rem. Signa autem anamneſtica ſupra diximus eſſe in mutationibus corporis certis quibuſdam, quae a praegreſſis quibuſdam effectae fuerant. Ergo ſignum tale ſemper eſt ex genere effectuum, ſignatum vero ex genere cauſſarum eſt. Vbi quidem temporis elapſi vel diuturnitas vel breuitas nihil diſcriminat. Ex iis autem ſunt alia certa, alia probabilia, alia ambigua, non propterea tamen contemnenda; ſaltem enim opportunitatem vlterius in aliquam rem inquirendi offerunt. Vſum autem habent et in morbis, et poſt mortem, et in quaeſtionibus mutationes quaſdam naturales attinentibus.

Et ſigna quidem anamneſtica, quae ad naturales mutationes, non proprie morboſas dictas, referuntur ſunt praecipue notae illae ſtupri virgini illati; partus vel paulo vel multo ante praegreſſi; itemque hae, quibus multiparae notatae ſunt; quas, ſi lubet, lege apud ſcriptores de arte obſtetricia; nolo enim hoc loco compilatorem agere.

Non omnes quidem morbi, ſed non pauci tamen notas quaſdam relinquunt, quibus deprehenſis ſcire poſſumus, qualiſne,

*) Vid. THOMAE FIENI *Semiotice ſeu de ſignis medicis Tractatus. Lugduni* 1664. Quo quidem libro nulla bene inſtructa bibliotheca medica carere poteſt.

lisne, aut saltem an omnino aliquis olim in corpore fuerit morbus. Nam primo multi morbi solidarum partium in sensus nostros incurrentium ita has mutant, vt praeternaturale quid aliud quondam subfuisse intelligamus. Omnis cicatrix de praegressa solutione continui testatur, et, quando in glandulosis inguinum locis reperitur, nostris temporibus non raro infectionis syphiliticae quondam factae testimonium perhibet. Quid vuulae iactura? Aut vlcera depascentia venerea, scorbutica, aut exulcerationes a tumoribus catarrhalibus, aliquando etiam malam conformationem.

Sunt et morbi humorum, qui notas quasdam vel nunquam delendas vel temporarias homini imprimant. Foueas et cicatrices a morbo varioloso relictas vel homines ex vulgo norunt hominemque iis notatum variolis laborasse. Plerique eorum, qui in pueritia rhachitide laborarunt, tam male conformata ossa longa spinamque per omnem vitam secum circumferunt, vt nemo de morbo praegresso dubitet. Maculae a scabie percurata morbum praeteritum produnt; et quae sunt alia huiusmodi.

Ab actionibus laesis fiunt quoque effecta vel perennia vel tandem aliquando sanabilia. Vrinae diuturna suppressio aut corpus vesicae aut sphincteres ita afficit, vt vel incontinentia aut eius difficultas summa postea supersit. Cordis actio in animi grauiori deliquio multum laesa aliquando relinquit pulsum admodum intermittentem.

Pertinent huc quoque omnes aliae morborum sequelae, e quibus de morbis praegressis tanquam caussis ipsarum, quanquam saepius nonnisi disiunctiue, argumentamur.

Atque haec quidem de morbis praeteritis. In ipso autem morborum decursu est anamnesticorum signorum vtilitas quaedam. Si pus in vulnere aut vlcere sic satis antea bonum deterius fit, aut vulnus inflammatur, neque caussa apparet,

 quaerit

quaerit peritus chirurgus de aſſumtorum vel copia vel qualitate, de commotionibus animi, de veneris exercitio, qualicunque demum. Febris intermittens hactenus regulis artis congruenti ratione curata, ſi ſubito in ſpeciem acutae tranſit, ſuſpicionem mouet, inſcio medico vel ſumta vel acta quaedam eſſe, quae humorum circuitum acceleratum reddidiſſent. Et omnino omnium mutationum, quae in curationibus morborum praeter rationem fiunt, eadem ſignificandi vis eſt, eaedemque medicum compellunt, vt in cauſſas vel fortuito et imprudenter, vel data induſtria, aliquando etiam malitia admiſſas diligenter inquirat, neque decipiatur aut ab aegrotante aut adſtantibus.

In demortuis corporibus vtilitas et neceſſitas ſignorum anamneſticorum multiplex eſt, atque tum maxima, quando medici, iubentibus ita magiſtratibus, ſententiam ſuam de vita et mortis cauſſis expromere ſatagunt. Lubet, licet enim, quaedam hic ſubnectere.

Vitam in infante recens nato fuiſſe monſtrat vacuitas vaſorum maiorum ſanguiferorum omnium; pulmo in aqua natans et vel demerſus aquae ſuperficiem repetens.

Teneram infantem noctu a matre, nutrice, gerra imprudenter ſuffocatum eſſe docent ſequentia: Mors ſubitanea et quaſi tacita pueruli, nullo ante grauiori morbo laborantis, mulieris ebrioſitas aut ſomnolentia, ſpuma circa os pueri, faciei tumor et color valde liuidus, ſpecies ſpumae in arteria aſpera diſſecta; auricula cordis anterior et ei reſpondens ventriculus, itemque venae iugulares turgentes, atque encephali vaſa ſanguine multa diſtenta; aliquando etiam compreſſione deformatum corpuſculum cauſſam euidentem exhibet.

Viuum aliquem ſtrangulatum eſſe, ſiue ſuſpenſus ſit, ſiue alia ratione conſtrictio gulae facta eſſe videatur, diſcimus ex his; ſi color vel liuidus vel ad nigricantem vergens eſt in

loco constricti colli, si cutis circa constricta et rugosa est; si facies tumet et liuet; si circa os spuma est; si narium exitus spumosum mucum offerunt; si vasa interioris capitis sanguine turgent. Si horum nihil est, vita ante defuncto iniectum laqueum esse indicamus.

Vtrum vita adhuc tum fruenti, an iam exstincto illata vulnera sint, docere haec ipsa possunt. Sunt enim cruenta, oris plus minusue tumidis, vascula ipso vulnere dissecta sanguine coagulato turgent; cutis circa oras est coloris quodammodo alienati, si vel in ipso moriendi articulo inflicta ea sint, dum modo in loco saucio aliquis humorum circuitus, vita igitur aliqua, superstes fuerit. Vitam tempore vulnerationis praesentem produnt quoque vasorum sanguiferorum maiorum vulnera, et, quae sanguinis fluxum consecuta est vacuitas vasorum; itemque si vulnus in cauum quoddam, penetrauit, atque hoc sanguinem multum effusum extra vasa secantibus offert. Si istae notae absunt, mortuo illata vulnera esse credendum est.

Viuum in aqua alioue humore submersum, et hoc genere suffocationis peremtum esse arbitramur, si circa os et nares spumosa sunt et mucosa; si in bronchiis et pulmonibus aqua spumescens est; si aqua in ventriculo est; si venter imus tumet, neque tumor is a putredine est; si extremi digiti excoriati et vngues in iis dilacerati sunt, sed huius tamen notae absentia non ideo mortuum antea hominem in aquam proiectum esse docet *).

*) In ventriculum et pulmones eorum, qui dum vita fruerentur, in aquam aliudue fluidum praecipites dati sint, aquam vel humorem illum contrahi, eius vero nihil fieri, si vita iam defunctus submerserit, priorum temporum medici omnes vnanimi consensu perhibuere. Aduersus hanc sententiam primo omnium, quod equidem sciam, dixit, atque ne viui quidem submersi in ventriculo et pulmonibus reperire aquam licere sibi vnquam scripsit IO. IAC. WALDSCHMIDT in *Ephem. A. N. C. Dec. II. A. VI. Obs. XV.* Secutus deinde IO. CONR. BECKER, atque integro *Tra-ctatu*

Quaeſtiones quae de vulnerum lethalitate, de veneficiis agitantur, ſint eiuſdem naturae; quas tamen quo minus attingamus, prohibet inſtituti noſtri ratio. Et fortaſſe aliquibus illa a nobis alieno loco poſita videbuntur. Fuimus vero verboſiores propterea quod paucos de anamneſticis recte ſentire vidimus.

§. 877. In morbis autem deſignandis id ſignum, quod proprium eſt morbo, et ab eo inſeparabile, vtpote ex natura eius ortum, vocatur παθογνωμονικὸν.

Signorum diagnoſticorum in morbis princeps, et in libris atque ſermone medicorum admodum celebratum eſt id, quod παθογνωμονικὸν vocatur, ita enim ſcribi debet, non παθογμονικὸν

ctatu medico-legali *de ſubmerſorum morte ſine pota aqua* ſententiam veterum refellere manibus pedibuſque conatus eſt. Eius vero conamina irrita eſſe fere perſuadet EMAN. IO. ALBERT. EVE *in Diſſert. quae ſiſtit experimenta circa ſubmerſos in animalibus inſtituta, edit. Goettingae* 1753. et in collectione *opuſculorum Brendelii* iterum deſcripta. Ante hunc tamen LVDOVICVS (Louis) clarus inter Pariſienſes chirurgus Acad. Sc. Pariſ. ſimilia monſtrauerat. Ego quidem viris doctiſſimis his aſſentior illud, in eorum, qui poſt demerſionem deglutire potuerint atque adeo re ipſa conatus deglutiendi exercuerint, corporibus aquam aliquando in ventriculum, in pulmones vero praecipue et ſemper, contractam hauſtamque ſecanti Medico in conſpectum venire; negare tamen nolim, fieri quoque poſſe, vt viuus homo in aquam praeceps datus deglutiendi niſus edat nullos. Nam vel praeuio capite in fundum piſcinae limoſae detruſus nares et os coeno plena habere poteſt, vel ingenti terrore metuque ita percelli poteſt, vt gula ſpaſmo contracta, nihil aquae admittat; vel aqua gelidiſſima ſimiliter fauces conſtringere, vel cauſſa alia mortis ſubitaneae fortuito incidere poteſt. Plures etiam earum cauſſarum deglutionem cohibentium aliquando fortaſſe conſpirant. His autem omnibus efficitur cogiturque, aquam in ventriculo et pulmonibus demerſorum repertam ad ſigna ſupra dicta iure referri, eius vero abſentiam non omnino et ſemper ſignificare, a morte demum aliquem in aquam eſſe detruſum. Plures hac de re ſcriptores noſcendi cupidus euoluat *Hiſtoriam litterariam ſcriptorum* etc. *Medicinae legali* ANDR. OTTOM. GOELICKE ſubnexam p. 41. ſeqq. ac praeter illos librum qui inſcriptus eſt: *Erfahrungen u. Wahrnehmungen über die Urſache des Todes der Ertrunkenen* etc. *durch die Herren Champeaux u. Faiſſole. Danzig* 1772.

νικὸν, vt vulgo et in multis etiam Boerhaauiani libri editionibus ſcribitur. Id nulli alii commune eſt, ſed morbo cuique proprium ſuum ſignum pathognomonicon eſt, et ab eo inſeparabile, quia ab eſſentia ſeu natura morbi eius, non ab accidentalibus quibuſdam, h. e. non a magnitudine morbi, non a ſingulari aegrotantis temperie, aetate, ſexu etc. deriuatur. Vt tamen ſignum ſit pathognomonicon, neceſſe non eſt, vt eſſentiam ſeu naturam morbi explicet et exponat, ſed ſatis eſt ſcire, vel ſola experientia magiſtra, ſignum id morbo certo cuidam proprium, nulli alii commune eſſe. Quo ipſo diſcimus a natura morbi eius proficiſci illud. Nam niſi ab ea ſed ab accidentalibus deduceretur, perpetuum eſſe non poſſet. Sic v. c. febris quartanae, tertianae etc. ſignum pathognomonicon eſt in febre quarto tertioue quoque die recurrente. Quod neque materiem morbi manifeſtat, neque cauſſam medicos docere poteſt rationemque, quamobrem febris modo accedat modo deferueſcat, modo reuertatur, et in ſic dictis exquiſitis quidem periodos ſuas mirabiliter ſeruet et decurrat, in caeteris vero minus regulari, minus conſtanti, ordine repetat etc. Plurimorum morborum ratio eadem eſt. Nihilo tamen ſecius a natura morbi ſignum hoc tale edi putandum eſt.

§. 878. Cuius proinde cognitio eſt neceſſaria quam maxime, vtiliſſima; indagatu ſaepe difficillima; ſemper tamen praeſens morbo, quamdiu genium ſeruat; quin et frequenter conſtat aggregatu plurimorum concurrentium ſignorum.

De neceſſitate notas tales cognoſcendi, dubitare nemo poteſt, niſi ignotorum morborum curationes ſuſcipi ab ſe poſſe temere putet. Nihil igitur addam.

Quod vero difficultatem eas indagandi attinet, id paulo plenius exponendum eſt, ne diſcentes ſcholas medicorum deferant,

ferant, faſtidio artis vel in limine capti. Scire igitur licet, quando et quatenus functiones impeditae ipſae nomine morborum veniant, tum et eatenus difficultatem iſtam, poſt tot annorum obſeruationes de morbis memoriae mandatas, vix eſſe memorabilem, cum ſint pauci ex morbis hactenus cognitis, quorum ſigna pathognomonica perſpicue in libris medicorum conſignata non legantur; multorum etiam expoſitio in ſymptomatologia Auctoris noſtri proſtat, vt, qua quis morborum ſpecie affectus ſit, vel mediocriter peritus animadvertere protinus poſſit. Et cum vnius eiuſdemque functionis laeſio ab impedimentis inter ſeſe admodum diuerſis fieri poſſit, in iiſdem quoque medicorum gnauiter res ſuas tractantium libris, impedimenta illa diuerſa diligenter enumerantur tanquam functionum laeſarum cauſſae. Quas niſi compertas cognitaſque habuerit medicus, a ſolis ſignis pathognomonicis, vt vulgo traduntur, haud ſatis erudietur, vt curationum pericula cum ſpe proſperi euentus ſubire queat. Etenim, vt hoc vtar exemplo, quid poteſt amauroſeos ſignum pathognomonicum, quod plenaria caecitate oculi, ad primum contuentium aſpectum bene conſtituti, contineri dicitur, de natura morbi praeſentis docere? Nihil profecto aliud, quam tunicae retinae ineptitudinem ad recipiendos ac propagandos impreſſus radiorum luminis. At vero cauſſae haud parum multae inde a retina ipſa ad cerebri medullam vſque ſunt, quae efficere eam poſſint. Siue igitur intricatiſſimum fuerit ſiue expeditiſſimum ſigni eius ſcrutinium, quod neceſſarium quam maxime eſſe negari nullo modo poteſt; in eo tamen acquieſcendum non eſt; ſed oportet vltra progredi, quo datur quidem. Haec autem inueſtigatio non eſt huius loci; verum adeundi ſunt fontes, e quibus petas ſigna, quae morborum naturas, ſedes et cauſſas in lucem protrahunt. Illi autem ab Auctore noſtro infra ita oſtenſi et aperti ſunt, vt nullus praetermiſſus eſſe videatur.

Signum

Signum pathognomonicum morbo quodque suo semper praesens esse, dum genium seruet, facile quidem dabimus, si illud ab ipsa morbi natura deriuari meminerimus; sin genium mutaverit, h. e. aliam naturam induerit morbus, signum pathognomonicum aliud fore. A diuersis enim rerum naturis diversos quoque effectus edi tam certum est, quam quod maxime. Exempla in promptu sunt. Si phlegmone abiit in abscessum, si intermittens febris in acutam continuam, aut in lentam hecticamue; si maniae accedens febris speciem phrenitidis quandam refert, alia sint eorum affectuum signa pathognomonica necesse est.

Haec quidem hactenus. Vt vero postrema quoque verba §. hui. perspicue intelligantur, morborum quorundam signa pathognomonica in conspectum proferam. Sunt autem aliorum simpliciora, aliorum magis composita; nec desunt, qui primis suis temporibus nonnisi ambiguas notas habeant, et tum demum, cum aliquid generis critici apparet, certo cognoscuntur; cuius census sunt morbi febriles, exanthemata ocyus serius expellentes. Simpliciori signo pathognomonico conspicuus est fluxus sanguinis ex arteria vulnerata erumpentis; idque in cruore subsultim per arcus eiecto cernitur. Icterum flauum vel solus cutis color croceus satis luculenter manifestat, etiamsi de vrina similiter infecta aliisque nihil noris. Amauroseos nota supra iam posita non multo magis composita est. Tussi reiectus sanguis spumosus pulmonem aut aliam ex viis aeris affectam esse prodit. Composita signa habentium sunt plurimi. Fit tamen saepenumero in sermone practicorum, vt, caeteris signis, quae ad alios quoque morbos pertinent, suppositis, vnum aliquod dicatur pathognomonicum. Sic v. c. apyrexia, inter duos quosque accessus febriles animaduersa habetur pro signo pathognomonico febris intermittentis. Signorum pathognomonicorum, quae non nisi ex syndrome signorum, modo pauciorum, modo plurium existunt, exem-

pla iam abunde ſuppeditat Auctoris noſtri ſymptomatologia, vt ex pathologia ſpeciali quaedam excitari opus non ſit. Quamuis autem ad formandum ſignum pathognomonicum ſufficere videatur collectio tot phaenomenorum, quot ad definitionem morbi cuiuſque characteriſticam (quo quidem cognomento a dialecticis petito ſignum pathognomonicum mihi dignum videtur), compilandam neceſſaria ſint; reliqua tamen ſiue perpetua ſint, ſiue non ſint, poſtea ſubiungere conuenit.

§. 879. Illa autem ſigna, quae docent mutationem, variataſque conditiones morbi, nomine dicuntur ἐπιγενώμενα.

§. 880. Quorum tanta eſt vis ad bene cognoſcendum, et curandum, vt vix aliquid ſit, quod plus emolumenti in praxi afferat; vnde etiam ſumma nocumenta oriuntur, his neglectis.

§. 881. Cum autem omnia illa ſint effectus, producti a cauſſa morbi, morbo, et ſymptomatibus aſſidue mutatis, notant ergo in morbis quolibet tempore conditionem praeſentem eius materiae, quae primo produxerat morbum, vel et eius, quae a malo producta fuerat; quare et ſolent reuocari ad has tres claſſes, quae ſunt:

1. Cruditatis, coctionis.
2. Exitus in ſanitatem, morbum, mortem.
3. Secretionis, et excretionis, materiae coctae, quae ideo vocantur decretoria, vel κριτικά.

Sectiones hae cum non commode diuelli poſſint, continentibus verbis illuſtrandae ſunt; ſed paucis; omnino enim neque per loci rationem neque chartarum paucitatem licet. Prima autem animaduerſio de verbo erit, altera de re. Obſeruamus igitur, ſigna ea, quae a Prioribus συνεδρεύοντα vocata

cata sunt, a BOERHAAVIO seorsim et expressis verbis non esse commemorata, non quod vir doctus ea, quae apud tot commentatores Hippocratis et Galeni leguntur, ignorauerit, sed quod scilicet operae pretium facturum se esse non putarit, si signa illa, quae non semper adsunt, neque igitur a natura morbi cuiusdam generatim intellecta, sed aut a diuersitate partis affectae, tanquam in pleuritide dolor vel ad iugulum vel ad hypochondria vel ad subscapularem regionem vergens, aut a varia magnitudine morbi, veluti dolor capitis aliaue quaedam symptomata in febre, propullulant, peculiari nomine donaret. Et ante SENNERTI tempora iam fuere, qui synedreuonta ab epigenomenis diuersa haud esse arbitrarentur. Estque in ipsius GALENI *Comment. in 12. Aphor. Lib. 1.* locus aliquis, quem possint illi pro sententia hac sua excitare. Vtcunque fuerit, BOERHAAVIVS nomen quidem sed non rem ipsam neglexit. Nam et fontes signorum vel sedem morbi vel eius magnitudinem monstrantium locis exposuit quosque suis, et in §. 879. *variatarum conditionum morbi* mentionem iniecit. Vt autem disputationem de illis missam facimus, ita nec descendimus ad componendas lites de significatu signorum epigenomeων et epiphaenomenων, quae a quibusdam pro synonimis habentur, ab HOLLERIO *) et DVRETO **) aliisque distinguuntur. Id vnum tamen adiicio: Quaecunque superuenientia, si signorum vicem obire debent, appareant necesse est; et vicissim, quaecunque apparentia sunt, apparere non possunt, nisi superuenerint. Denique verborum τȣ̃ ἐπιγίνεσθαι, τȣ̃ ἐπίγενίματος, τῶν ἐπιγενομένων vim et potestatem, ex mente HIPPOCRATIS et GALENI ipsis tribuendam acutissime rimatum esse GVIL. BALLONIVM arbitramur ***).

De verbo τῶν ἐπιγενομένων haec hactenus. Nunc, vel nomine eo generaliori neglecto, de re ipsa est dicendum. De qua

*) In *Comment. in 12. Aphor. S. 6.*

**) In *Comment. in Coacas*, locis pluribus.

***) Vid. BALLONII *Opp. T. I. Lib. definitt. medicar.*

qua quomodo differi hoc loco commode possit, difficile est inventu, nisi prolixior esse, et multa, quae infra §. 931. demum de signis coctionis et cruditatis etc. ab Auctore nostro ex methodo proponuntur, huc trahere atque ex doctrina pathologiae specialis petitis exemplis illustrare ea velis. Sed hoc nobis iam non licet. Breuitatis igitur ita studiosus, vt ne obscurus fiam, paucis animaduersionibus efficiam, vt §. 881. sensus legentibus fiat perspicuus. Itaque primo animaduertimus, signa illa, quae vel cruditatem vel coctionem significant, proprie tantum ad morbos eos pertinere, in quibus humor vel in vniverso corpore vel in parte quadam singulari peccet, siue is morbum fecerit origene tenus, siue a morbo aliunde nato extiterit. De signis criseos idem esto iudicium. Deinde sciendum est, quemadmodum sani hominis humores non perpetuo iidem sint, sed pro varia caussarum occasionalium diuersitate et vicissitudine variis obnoxii sint mutationibus, ita eos prauitate quacunque laborantes etiam mutari, siue motus vitales morbo aucti sint siue imminuti. A priori autem, quod dicitur, vlterius cogitando intelligimus, mutationes illas peccantium humorum esse aut eiusmodi, vt et morbus et eius symptomata vel numero vel magnitudine vel vtroque modo augeantur, aut esse tam optabiles, vt priora symptomata decrescant, neque in eorum locum noua succedunt. Quodsi vero prius illud reipsa fit; humor ille continuo nocentior a medicis vocatur crudus; sin alterum, coctus appellatur. Illius autem cruditatem facile dabis augeri ita posse, vt aut totius corporis humores ad circuitum obeundum et functiones vitales praestandas prorsus inepti euadant, aut saltem viscera vitalia onerando corrumpendoue actiones eorum omnino tollant; atque mortem tum necessario consequi; aut cruditatem sic tantum mutari, vt loco prioris illius noua, atque ex hac etiam noua morbi facies, seu nouus morbus existat. Sed perfecta coctione reddi sanitatem. Rursus autem meditatione sola duce intelligimus, omnia illa

aut

aut lente et ſine ſignis virium vitae excitarum aut ſubito et cum ſignis iis fieri. Si hoc alterum atque adeo lucta quaſi aliqua morbi et vitae in homine ſubeſſe videatur, tum, prout aut morbus aut vita vincat, de ſalute hominis decerni et iudicari, ſtatum igitur eum ipſum morbi dici iure quodam poſſe criſin, iudicium, decretum. Omnes autem illas mutationes morbi hactenus dictas plerumque ita accidere, vt per ſigna quaedam ſeſe prodant, quae vel in melius vel in peius conuerti ſignificent materiem eam, quae primo produxerat morbum, vel et eius, quae a malo producta fuerat. Prioris caſus exemplum ſuggerit febris ardens aut inflammatoria a ſpiſſo atque ſimul calido ſanguine concitata, alterius vero febris inflammatoria inflammationem laeſionis grauioris externae concomitans, et diatheſin ſanguinis phlogiſticam dictam efficiens. Atque de his quidem hoc loco ſic ſatis.

EPILOGVS.

Haec habuimus, quae ex praelectionibus a Praeſide huius diſputationis quotannis habitis compilaremus, non, quod non exaudita eruditis medicis ea putaſſemus, ſed vt commilitonibus eaſdem ſcholas frequentantibus in memoriam reuocaremus, aliis vero riuulos hactenus conſectantibus fons Boerhaauianus, omnium limpidiſſimus, vnde deducti illi ſunt, ſaliuam moueret, quando aditus ad eum tam inacceſſos, quam pigri et vagi quidam inuidioſe criminantur, non eſſe intellexerint, et illius ab SENECA dicti, *inertis eſſe ingenii, relictis fontibus, riuulos ſectari*, ſimul meminerint. Atque eorum quoque gratia, quae paulo altius repetere et ſubtilius exſequi poteramus, ea, tanquam a propoſito noſtro aliena, omiſimus. Pro iunioribus enimuero, ad doctrinas generaliores viua voce propoſitas ſaepe ſtupentibus, haec ſcripta ſunt omnia. Quibus ſi accommodate dictum, et commentarius noſter, quamvis non perfectus, affectus tamen peritioribus videatur, nihil

erit cauſſae, quamobrem vereamur, ne opera noſtra fruſtra inſumta aequis rerum aeſtimatoribus putetur. Ipſi quidem nos quo minus ſcriptionem propemodum abſolutam in vulgus ederemus, prohibiti fere ſumus moribus et ingeniis hominum aetatis noſtrae, quibus, quicquid nouitatis ſpecie commendabile non videtur, paene ſordet, ſuaue vero gratum et iucundum eſt, arrectiſque auriculis et hiante ore accipitur omne id, quod nouitatis fama quadam aures percellit animoſque, etiamſi nihil niſi heteroclitum, dudum notum ac peruulgatum fuerit, aut nihilo minus, aut ipſa morum prauitate et malignitate prauius et malignius. Verumtamen animus nobis confirmatus eſt, cum a D. L. CRELLIO, medicinae profeſſore Helmſtadienſi, claro et docto, eiuſmodi nouam opinionem de generatione caloris animalis, quam DE HAEN, medicus Vindobonnae nuper inclytus primo propoſuerat, Britannorum vero nonnulli deinde maximis periculorum moliminibus adſtruere conati ſunt, acute refutante et maſcule diſpellente ſcriptum legeremus: *Boerhaave, dieſes herrliche, wohlthaetige, nur von wenigen zu erreichende Genie, das iezt von ſo vielen verkannt wird* *). Verbis namque his lectis animo nobiſcum reputabamus, cum et alii viri docti neglectum ingenii tam eximii atque benefici animadvertant atque condoleant, nihil autem, iudice M. TVLLIO, tam valde vulgare ſit, quam nihil ſapere, breui futurum eſſe, vt, niſi homines ſubinde vellicentur, tandem vix quiſquam ſuperſit, qui ingenii iſtius benefici fructus cortice paulo duriori ſectos deguſtet, ſed tirones vbique libris vtantur vulgaribus illis, in quibus frequentes ſunt errores et inter eos adeo ridiculi, vt, ſi vel Craſſus ille fueris, qui ſemel in vita tantum riſiſſe fertur, tibi tamen temperare ab riſu non poſſis. Eodem igitur diſcentibus ſeruiendi animo illo conſcriptum neque alio euulgatum commentarium qualemcunque noſtrum vt eruditus lector boni et aequi conſulat, vehementer etiam atque etiam rogamus.

MISCEL-

*) Vid. *Verſuche uiber das Vermoegen der Pflanzen und Thiere, Waerme zu erzeugen* etc. *Von* D. L. CRELL, *Helmſtaedt.* 1778.

MISCELLANEA.

I. Medici doctrinas medicas generales non edocti, quanquam rerum ſingularium fere omnium cognitione praeſtantes ſint, ſimiles tamen ſunt nautis, qui in caeteris quidem, ad gubernationem nauium pertinentibus, verſatiſſimi neque acus magneticae neque bolidis vſu pollent.

II. Bonus theoreticus, malus practicus: et recte et perperam dicitur; malus theoreticus, bonus practicus: abſurde.

III. Nouarum medicinarum nimis auidi medici aut medendi methodi et medicaminum a prioribus acceptorum ignorantiam aut animi inconſtantiam produnt.

IV. Morbi, qui curari non poſſunt, trahendi ſunt, non, quod non raro fit, per infidas curationes morte finiendi.

V. Europae partes, quae minus cultae vulgo putantur, rem medicam ſalubribus legibus ita ordinatam habent, vt ſapientia ſua cultiſſimis praeluceant.

VI. Prudens medicus it, non qua itur, ſed qua eſt eundum.

VII. Ciuitatum ſaluti parum eſt proſpectum, ſatis igitur beatae dici eae nequeunt, niſi ciuibus cenſus cuiuſque et infimae quoque ſortis hominibus in promptu ſint potulenta et grata et ſalubria ſed vero etiam parabilia.

VIII. Variolarum morbus in mediis ciuitatibus arte ſeu manu armata excitatus, ſalutem paucis promittit, perniciem pluribus minatur.

VIIII. Cauſſa atque ratio, quamobrem oculis duobus conſpectae res ſimplices, non duplices, percipiantur, non aliunde quam ab oculis ipſis repetenda videtur.

X. Aer inſpirando ductus pulmones penetrat et ſanguini admiſcetur.

XI. Sanguis in pulmonibus et incaleſcit et refrigeratur.

XII. Neque oſſa ſeſamoidea neque aliae, ſi quae in corpore humano ſunt, trochleae momentum motui muſculorum addunt.

XIII.

XIII. Occultas qualitates dudum explosas postliminio, frustra quidem, recipiunt hi, qui caloris animalis fontem seu caussam proximam in neruoso systemate anquirunt, atque caussas euidentiores praetermittendo subsultim ratiocinantur, atque adeo *παραλογίζονται.*

XIV. Simile peccatum est sed grauius, si animalibus facultas calorem et gignendi et obterendi seu annihilandi a quibusdam nihil omnino explicantibus vel discernentibus, temere igitur, obtruditur.

XV. Aeris puritatem inter praecipua valetudinis tuendae praesidia esse nemo ignorat, neque eum in locis populosioribus impuriorem quam in agro esse dubitat quisquam; pauci tamen fortasse vim caussarum inquinantium cogitatione mentis assequuntur. In loco frequenti et frequentato, in quo viginti millia incolarum opera et opificia omnis generis facientium numeres, vapores et effluuia e tot hominibus, animantibus brutis, lignis ardentibus, rebusque aliis ambustis et combustis, cellis subterraneis et cloacis, aquis profusis et exhalantibus, innumeris aliis, quotidie emanantia et emissa, si in summam colligas, multo plus quam centena millia librarum pondo efficere computo facili docebis non cogitantes. Hic talis et tantus cumulus alienae materiei de aeris puritate, elasticitate, salubritate igitur, mirum quantum detrahit. Tanto maius beneficium eius loci incolis dat aquarum stagnantium exsiccatio. Quid autem a crebris et densis arborum plantationibus et vicinis syluis sperandum metuendumue? Omnis planta valde perspirat. Arbores illae liberum aeris campestris et aprici, saluberrimi eius, accessum et perflatum arcent et cohibent. Vt autem fere in reliqua vita, sic quoque his in rebus amoenum et iucundum vtili saepenumero praefertur.